

ferre, omniaque illi felicia, & prospera percipere. Ceterum præteritis bellis attritas adeo, ac debilitatas Reipublicæ opes esse, ut in novos sese demittere turbines non posset: tantum in præpotenti Rege consilii, ac virium esse, ut ab eo non modo obsisteret, sed etiam vinci hostes posse consideret. Cum hoc Senatus decreto Romam Cardinalis contendit, Pontificemque in Gallorum partes, nimis Cæsaris potentis metu proclinatorum animadvertens, ne Regis causæ ulla in parte deesse videretur, Paulique consiliis ad foedus ineundum Patres inflammaret, Bartholomæum Cavalcantem, Florentinum exulem, Venetias misit, ut de Pontificis in Gallos animo Patres doceret, atque rursus de foedere negotio instituto, a proposita abducere sententia niteretur. Verum nulla in re immutata consilia, atque animos invenit.

Furebat sub id tempus in Subalpinis, & in Galliis bellum, Cæsareanis ad Ceresolam profligatis, ac cæsis copiis; ad Scriviam vero amnem prope Derthonam, Petri Strozii tumultuario Italarum coacto exercitu, in Pedemontanos contendente, devicto, ac fugato. Cæsar vero, atque Henricus Angliæ Rex adeo acriter in Franciscum conspiraverant, ut diversas illius regni provincias aggressi, haud dubia victoriæ præmia laturos viderentur. Hinc Cæsar totius Germaniæ atque Hispaniæ robore suffultus, inde Henricus ceteris Angliæ Regibus, qui arma in Galliam intulissent, gravior genti, ac formidolosior; quod Regis Scotorum obitu, domestico metu, atque periculo liberatus esset, auroque, & militum ferocia plurimum posset. Cæsar Lucemburgum, Leucorum urbem, quam Aureliani Ducis virtute paulo ante Galli in suam potestatem redegerant, per deditionem recepit; mox Mosæ flumine superato, Comerfium ultro se dedentem obtinuit. Ligninio, admoto exercitu, vita tantum oppidanis concessa, potitur. Inde ad Sandesirium, a Sancti Desiderii templo ita a Gallis appellatum, castra promoveri iussit, oppidum prope flumen Matronam situm, quod illi a septentrione pro munimento est, cum silvarum densitate a reliquis partibus circumvalletur. Magno illud tormentorum impetu quassatum, irruptio ingenti Cæsareanorum damno tentata, cuniculis sub terram suffosis frustra actum, obsidione demum circumfessum, cum tormen-

H. Mauroceni T. I.

Qq 3

tarius

1544

Pauli Pontificis in Gallos progressio.

Bartholomæus Cavalcantius a Cardinali Arestino Venetias missus.

Cæsareanis ad Ceresolam a Gallis profligatis.

Petrus Strozzius a Cæsareanis prope Derthonam victus.

Cæsar & Angliæ Rex in Gallias bellum infecerunt. Cæsaris progressus.